

ORDINARIUS
 SENIOR CAETERIQUE DOCTORES
 FACVLTATIS IVRIDICAE
 LIPSIENSIS
 LAVDABILITER SVPERATVM EXAMEN
 GENEROSISSIMI DOMINI
 ADOLPHI FRIDERICI GOTHELF A GLOBIG
 PVCLICE TESTANTVR.

Rhapsodiae Supplementa.

LIPSIAE
 EX OFFICINA LANGENHEMIA

TO THE HONORABLE

SENATOR OF THE SENATE OF THE UNITED STATES

IN SENATE

CONFIRMED

BY SENATE RESOLUTION

OF THE 15TH MARCH 1880

ADOLPH WILHELM GOETHE A. GOETHE

OF THE GRAND DUCHY OF SASSANIA

TO BE A MEMBER OF THE SENATE

OF THE SENATE

OF THE GRAND DUCHY OF SASSANIA

VI
OBSERVATIO DCCXVIII.

Vsurae rei iudicatae, postquam desierunt esse centesimae, hodie nulla in re differunt ab usuris ex mora.

Computantur hodie non amplius a quadrimestri spatio, sed a tempore rei iudicatae, et currunt ultra alterum tantum, nec tamen iterum usuras pariunt.

Debentur etiamsi petitor neque usuras petierit, neque sententia definitiua adiudicauerit; unde etiam Oneribus competunt, licet haec in Designationis Sententia non sit moris cum usuris locare.

In actione rei iudicatae non respicimus amplius ad id, unde obligatio orta fuerit.

An res iudicata usuras adiudicatas commutet in sortem?

Sententia condemnatoria per appellationem suspensa, si ab instantia superiori confirmata sit, tempus rei iudicatae non est decendum sententiae in prouocationis tribunali perlatae, sed id, quo prior sententia ab inferiori iudice fuit pronunciata.

In debitis hypothecariis apud Saxones usurae soluendae cum sorte in eadem classe, etiamsi
A 2 *in*

in iudiciali consensu non dictum fuerit auf Capital und Zinsen. At quod Expensas attinet, ut hae quoque in hypothecaria classe collocari possint, hypothecam oportet diserte etiam in eas datam et, quod bene notandum, illas etiam ante motum Concursum creditori iam adiudicatas fuisse.

I **C**oorto concursu creditorum, in locationis sententia, hypothecarii apud nos ita solent locari: *Tausend Thaler Hauptstam nebst 3 Jahre vor entstandenen Concurse rückständige Zinsen.* Non hic additur, etiam sequentium annorum usuras deberi, ex quo opinari quis possit, futuras non deberi, quia non sit additum: *und fernerweitigen*; sed nemo est, qui nesciat hoc subintelligi, quia verba *nebst drey Jahre vor entstandenen Concurse rückständigen Zinsen* futura, quae in infinitum currunt, tacito comprehendunt et tantummodo finiunt terminantque initium, a quo currere incipiunt, adeoque antecedentium non consequentium annorum usuras, ut plane patet ex O. P. R. ad tit. 46. §. fin. ibi: *Dass die Zinsen, wenn nicht der Consens auf das Capital ausdrücklich restringiret, in Concurfibus creditorum ohne Unterschied, so wohl bey Lehn - als allodial Güthern, mit dem Capitale in eine Classe locirt werde,* atque idem etiam de usuris rei iudicatae atque illis, quae ex mora debentur dicendum. O. P. R. ad tit. 50. in fine WERNHER P. 8. Obs. 433. n. 4.

2 Hae futuri temporis usurae in concursu creditorum dicuntur Interesse Rei Iudicatae, quae ultra alterum tantum currunt, quoniam, quod promissae usurae se sistunt altero tanto completo, in poenam negligentiae introductum videtur, quae non cadit in eos, qui iusto tempore exegerunt, sed ob deficientes debitoris facultates solutionem non potuerunt citius impetrare; quod ipsis citra suam culpam accidit.

3 Iure civili in concursu univrsique creditorum simul cum sorte usurae, tanquam accessorium, adiudicantur in eadem classe,

vt

vt sequentis classis sortes solui non deberent, nisi antecedentis classis creditores etiam vsuras acceperint. *L. 18. ff. qui pot. in pign.* BARTH. *Hodog. t. 3. §. 22. p. 628.* sed apud Saxones per Nouam Processus Ordinationem *tit. 46. §. 3.* hypothecariis solis, id datum non solum expressis, sed etiam (vt in *Supl. C. Aug. tom. 1. p. 337.* habetur) tacitis.

Vsuras rei iudicatae Romanas quod attinet, non illae ex stipulatione, nec in bonae fidei contractibus ex mora descendunt, sed ex sententia, quae post quadrimestre spatium condemnatum quasi in poenam constituebat, quia placitis per tantum tempus non obtemperasset *L. 1. C. de vsur. rei iud.* Antiquis temporibus hae vsurae rei iudicatae erant centesimae, quasi poena non obtemperantis sententiae post quadrimestre spatium; sed centesimae vsurae pariter atque hoc quadrimestre spatium hodie in desuetudinem abierunt. BRUNNEMANN *ad L. 1. C. de vsur. rei iud.* BUGHNYON *Loix abrogés lib. 1. cap. 148.* GROENEWEGEN *de Legib. Abrog. ad L. 1. C. de vsur. rei iud.* Quamobrem si ad subtiliorem rationis trutinam pensites, plane nullas hodie vsuras rei iudicatae habemus, quia ab vsuris ex mora non differunt, nisi quod in Processu Concursum apud Saxones *O. P. R. ad tit. 50.* debentur hae vsurae rei iudicatae a tempore, quo in Locationis Sententia nomen ad liquidum perductum est, licet adhuc super prioritatem, non cum curatore litis, sed cum concreditore disceptetur, verbis: *Von der Zeit, da das Designations Urthel rechtskräftig worden, vvirtd einem jeden Gläubiger, dessen Forderungen darinnen für liquid erkant (vvenn gleich der passus prioritatis noch nicht völlig erörtert) das Interesse rei iudicatae gleich dem Capitale in seiner Ordnung billig entrichtet.* Hoc spectat tantum ad eum casum, si hypothecariis creditoribus nullae vsurae promissae, si autem promissae, non solum a tempore rei iudicatae, peti possunt, sed continenter anteriores etiam adhuc residuae; modo tres ante concursum annos non excedant; Nec dubito, quin etiam Onera, quae cum vsuris non est mos locare, post rem iudicatam etiam cum vsuris rei iudicatae in distributionem veniant, antequam sequens classis creditorum quid percipere possit. Deinde haec Ordinationis Processus Recognitae dispositio spectat tantum ad creditorum concursum; Nam extra concursum fors, et vsurae simul adiudicantur; promissae a tempore

pore contractus, non promissae a tempore litis motae (*Obs. CCXXXIV.*) Caeterum usurae rei iudicatae, currunt ultra alterum tantum, WERNHER *P. 8. obs. 309. et 433.* non autem iterum usuras pariunt. *L. 3. C. de usur. rei iud.* quod nouum non est, quia idem obtinet in usuris ex mora (*Obs. XXXIX.*) Agebat creditor executiue ex tali documento: *Nachdem ich Heinze mit meinem Gläubiger Cunzen, dem ich lange Jahre her sovvohl Capital als Zinsen in Rest verblieben, mich berechnet; und sich befunden, dass ich ihm nunmehr 100 Thaler schuldig sey, als verspreche ich diese lezt gedachte Summe binnen Jahresfrist ihm zu bezahlen.* Non poterat condemnatio fieri in usuras morae, sed tantum in sortem. Postquam vires rei iudicatae sententia nacta erat, quinque anni praeterierant, antequam executio peteretur; noua nunc quaestio, ane saltem a decendio publicatae sententiae interesse rei iudicatae peti possit, quia per litis contestationem nouatio contigisset? Satis probabiliter 25 thaleros tanquam quinquennales usuras creditor postulabat non ex sorte mutuo data, sed ex re iudicata descendentes, modo de his 25 non vltiores usurae petantur, hoc enim posterius non licere, omnes consentiunt. Immo etiam tunc usuras rei iudicatae a toto adiudicato peti posse, petitor alius existimabat, si usurae non in summam vnam cum sorte conflatae, sed in sententia definitiua separatim earum mentio facta et pronunciatum fuisset: *Dass Beklagter tausend Thaler Hauptstamm und 50 Thaler Zinsen zu bezahlen schuldig.* Non enim tam esse, aiebat, usuras usurarum, sed potius quia sententiae reus non satis fecisset, in poenam proteruitiae usuras rei iudicatae soluendas esse non de mille, tantum, sed etiam de 1050 Imperialibus ita adiudicatis. Solum hanc differentiam esse inter usuras ex mora et usuras rei iudicatae, quia si hoc vnicum discrimen haud admittamus, non sint vlla in re usurae rei iudicatae ab usuris ex mora hodie diuersae, vt ridiculum sit, peculiare nomen dare iis, quae ab usuris morae nullo modo distarent. Quis enim est, qui nobis possit aliam inter vtrasque differentiam allegare? Haec ille belle quidem et probabiliter perorabat, poteratque haec opinio pluribus adhuc argumentis firmari. Videtur enim rei iudicatae auctoritas usuras commutare in sortem, quoniam hae usurae in poenam solui dicuntur, propter haud soluentium praefractam contumaciam. Certe si
 quon-

quondam apud Romanos, quibus usurae ex singulari causa, quoniam secessionibus plebis occasionem dederant, odiosissimae erant, si inquam apud Romanos centensimae adeo usurae post rem iudicatam non impiae, sed poena potius visae fuerunt deludentis creditorem suum et solutionem morantis, cur hodie, dixerit ille, hoc pauxillum metuamus aut improbum pronunciemus? Notum est in Actione Iudicati non respici amplius ad id, unde pristina obligatio orta est, sed per rem iudicatam nouum fieri debitum. *L. 61. ff. de re iud. L. 3. C. de usur. rei iud. vers. Si enim nouatur.* Nam si in executione liceret reo pristina repetere et sub praetextu computationis instaurare prior exceptiones, nullus foret litium finis. Itaque probe videtur considerandum esse, rei iudicatae usuras non petere creditorem actione ex stipulatu, qua promissas petit, sed Actione Iudicati. In hac actione autem exceptiones libello quondam opponendae, non possunt ulterius allegari, sed nihil amplius creditor in hac Actione Iudicati probare debet, quam iudicatum esse, *L. 56. ff. de re iud.* adeoque reus non condemnatur ex emto, non ex mutuo, non ex alia iam per definitiuam ad exitum perducta actione, sed, deleta pristinae obligationis memoria, condemnatur in id, in quantum est facta prior condemnatio *L. 4. §. 3. ff. eod.* Cum igitur usurae rei iudicatae non possint addici ex causa mutui, sed post sententiam dictam iam principale debitum constituent, deberi usuras in superiori exemplo thalerorum 25. valde probabile. Nam ab usuris, quoties principale illae debitum constituunt, usurae debentur, *MEV. P. Decis. 213.* neque generatim eas tam immane odium mereri, nec iniustum esse Anatocismum, sed tantum moribus turpem, *WOEHLIUS* in libello *von der Gerechtigkeit Zinsen von Zinsen zu nehmen* probare studuit. Si autem hisce opponas legem Iustiniani, qui diserte ait, interesse rei iudicatae ultiores usuras non parere, responderi possit, Legem 28. C. de usur. tantum vetare stipulationem usurarum ex usuris, deinde, quod maximum, concedi hoc totum, nempe usuras rei iudicatae usuras non parere, plena manu a creditore posse, salua, quam huc usque tuitus est opinione sua. Nam quod dicitur usuras rei iudicatae non parere usuras, ita intelligendum esse, vt, si debitor meus condemnatus in mille die 2. Ianuarii 1770, sed summam debitam, post biennium demum soluisset, nempe mense Ianuario

nuario

nuario 1772, atque sic ego vellem liquidum constituere:

1000 th. fors
 50 th. vsurae ab anno 1770 vsque ad 1771. ex sorte
 2 th. 12 gr. vsurae ab his vsuris vsque 1772.
 50 th. vsurae ex sorte vsque ad 1772.

Summa 1102 th. 12 gr.

iudex haud dubie 2 th. 12 gr. refecaret, et hoc est, quod dicitur: vsuras rei iudicatae vsuras non parere. Non autem prohibitum videtur, ex conflata ex sorte et vsuris summa 1000 thalerorum iam NB. adiudicata, post annum 50 thaleros petere. Diuersa haec enim. Fatebitur quidem creditor, vsuras rei iudicatae non parere vsuras, sed hoc dicet: rem iudicatam ex vsuris adiudicatis facere sortem. Prohibitum esse, dixerit, vsuras ex vsuris rei iudicatae, non autem prohibitum esse vsuras capere ex vsuris iam adiudicatis. Haec omnia vtut habeant egregiam speciem et aequitati maxime conueniant, tamen, an haec sapientissimae rationes iudicem commoturae sint, vt vsuras in sententia condemnatoria adiudicatas pro sorte reputet, in medio relinquimus.

7 Ab hac philosophia redeamus ad pragmaticas et vsu fori stabilitas quaestiones. Agimus nempe de concursu creditorum. Non dubium, quin etiam in Electoratu Saxoniae *chirographarii* vsuras haec rei iudicatae per centum annos ex sequestrato debitoris communis feodo, adeoque longe multumque ultra alterum tantum petere possint, WERNHER *P. 10. Obs. 278.* quia prius poscere non valentibus praescriptio non obstat.

8 Currebant apud Romanos, vt dictum est, haec ex re iudicata deuenientes vsurae a quadrimestri spatio in actione personali reis condemnatis indulto, intra quod spatium hi neque vsuras, *L. fin. C. de vsur. rei iud.* neque fructus praestabant. *L. 3. §. 1. ff. de vsur.* MEIER *Colleg. Argentor. lib. 42. tit. 1. th. 84.* sed elapso hoc spatio etiam vsurae promissae sistebantur et deberi incipiebant vsurae rei iudicatae, si nempe haec promissis pinguiores essent. MENKE *π. lib. 42. tit. 1. §. 24. in fin.* Sed hodie, postquam centesima esse desierunt, moris est, eas statim a tempore rei iudicatae computandi, etiam in Saxonia *O. P. R. ad tit. 50. ibi; Von der Zeit*

an

an, da das Urthel rechtskräftig worden, non adeoque a tempore praecepti executiui.

Quaesitum est, an sententia condemnatoria inferioris iudicis 9
per appellationem suspensa, sed a superiore iudice penitus confir-
mata, tempus rei iudicatae illud sit, quo sententia appellationis a
superiore iudice perlata vires rei iudicatae nata est, an vero id,
quo inferior iudex sententiam in prima instantia pronunciauit?
Videri quidem poterat, rem iudicatam non prius existere, quam 10
si appellationis sententia confirmatoria vires rei iudicatae nata
fuerit (*Obs. XLVI. num. 1.*) Nam actio iudicati apud Romanos
non poterat prius institui, nisi elapso quadrimestri spatio reis con-
demnatis indulto. HEINECCII π . lib. 42. tit. 2. §. 243. Vnde ne-
que executio decerni prius poterit, nisi postquam appellationis
sententia vires rei iudicatae nata fuerit, quemadmodum nec olim
vsurae centesima prius incipere poterant, quam post decendum
sententiae confirmatoriae elapsam. Re tamen rectius perpensa
dico sententiam in appellationis iudicio perlata esse tantummo-
do declaratoriam, quae saepe retrahitur (*Obs. CCXXXIV.
num. 3.*) inprimis autem Confirmatoria haec: *in priori instantia be-
ne fuisse sententionatum* id clarissime edicit, adeoque nihil noui sta-
tuit, vt taceam, in Confirmatoria non solere superiorem iudicem
Acta iudicialia et litem apud se retinere, sed remittere causam ad
priorem iudicem CARPZ. *Prot. tit. 18. art. 6. num. 65.* KNOR
Anleitung zum Prot. t. 26. §. 28. vt sic per appellationem nihil
immutatum fuisse, sed priorem sententiam in statu, quo antea erat,
substituisse videatur; siquidem inter reformatariam et confirmato-
riam sententiam hoc intercedit discrimen, vt confirmatoria et
prior sententia possint pro vna eademque haberi; Sic ergo iudicis
superioris confirmatio quasi retrahitur ad tempus prioris senten-
tiae. Parco pluribus rationibus, cum de ea re legem expressam
habeamus *L. ult. ff. de re iudic.*

II

Ergo ad aliud, nempe quod in rubrica breuiter indica-
tum est, etiam in Saxonia Electorali locari in concursu creditorum
vsuras cum sorte hypothecaria in vnam classem, neque opus
esse, vt consensus nominatim in vsuras quoque datum sit. Nul-
lum hic inter vsuras promissas et ex mora discrimen. Vnde
valde mirabar rationes decidendi cuiusdam dicalsterii, quae

B

per-

peruerse haec loquebantur: *Diueil die Hypothek blos auf die Zinsen und nicht auf das Interesse morae ertheilet worden, mitbin Liquidant mit solchen Verzugs Zinsen, nicht so vwie mit denen versprochenen nebst dem Capitale zugleich, sondern erst in die chirographarische Classe angeezet uwerden muss &c. Apage!*

Meliores nunc sollicitant calamum et magis gratae cogitationes, quas intendimus publico testimonio doctissimi et generosissimi Domini

ADOLPHI FRIDERICI GOTHELF
A G L O B I G.

Haec generosa proles excellentissimi et perillustis ecclesiarum in Saxonia scholarumque protectoris, de re litteraria et Academia nostra immortaliter meriti, quem magna causa est, quare ego inprimis, qui hoc scribo, aeterno venerationis cultu prosequar. Temerarium foret elogium scribere patri, viro laude superiori nostra; quis enim hoc pro dignitate possit? Mite ingenium cum summa grauitate temperantem, pro pietate et animi generositate sui, per omne tempus, quo rei publicae et sacris praefuit, vidimus eum, si Lucilii veteris poetae versus adoptare licet:

Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum;

Contra defensorem hominum morumque proborum.

Seruet eum deus patriae, filio! filio, tali parente digno, honorum mox candidato dignissimo, de quo plura

vt

vt nunc dicamus, nostri instituti ratio efflagitat, mos collegii poscit. Nempe die XVI. Aprilis is, instituto per duas horas arduo examine, haustam a praeceptoribus per triennium iuris scientiam ita omnibus comprobauit, vt ei ordo noster licentiam et potestatem decerneret, ex superiori cathedra Pro Praeside disputandi quandocunque ipsi placuerit. Cum in praesenti aliud non possimus specimen eius eruditionis lectoribus proponere, vt saltim ex stilo atque Latinitate aliquantulum de ingenio et moribus iudicare possint, dabimus vitam, quam nobis exhibere iustus est, iisdem verbis, quibus eam nobis descripsit:

Natus sum Dresdae, anno huius seculi LX. patre HANS GOTTHELF a GLOBIG, Serenissimo Saxoniae Electori a consiliis intimis, Senatusque Ecclesiastici Praeside; matre MARIA AVGVSTA AMALIA e stemmate COMITVM a BRVHL. Hanc et si mors praematura infanti adhuc eripuerit, amor tamen maternus Dominae HENRIETTAE ERDMVTH a DIESKAV nouercae nomine, non animo, fere restituit. Patris autem amantiissimi benignitatem, amorem atque indulgentiam gratissimo animo venerari vsque ad ultimum vitae tractum baud desinam. Huius quidem pietas atque beneuolentia in me semper fuit tanta, vt inde a tenerrima aetate religionis aequae ac litterarum principii me imbuedum curaret. Domesticis statim praeceptoribus erudiendum me tradidit, qui prima elementa docerent, virtutisque ac litterarum amorem

in puerili pectore accenderent. Hos inter ut TIEMANNO multum, ita MEISELIO ob summa in me merita, plurimum debere, profiteor: insignem utrique gratias habens, huic tamen plane immortales: quippe cuius ductu, cum uberrimo meo fructu, ad hanc sedem ac domicilium litterarum veni anno MDCCLXXVI. BELIO Rectore Academiae Magnifico, cuius ciuitate iam vix natum ornauerat BOEHMIVS t. t. Rector. Hic igitur, ut litteris altioribus rite imbuerer, Philosophiae causa audiui illum, quem dixi, BELIVM, PLATNERVM atque ZWANZIGERVM. Matheos principia ex BORZII praelectionibus percepi, qui mathefin puram, applicatam, itemque Algebrae regulas tanta cum humanitate ac patientia exposuit, ut maximas ei debeam gratias. Historiam catholicam, statuum, atque imperii enarrauit WENCKIVS, quem eundem statisticae atque ius publicum interpretantem audiui. Iuris ciuilibis historiam BREVNINGIVS, Institutiones, Ius naturae et Pandectas SAMETVS tradidit. WOLLII praelectionibus in Struuii Iurisprudentiam Romano Germanicam interfui. Ius Canonicum HOMMELIVS docuit. In iure germanico privato, item Saxonico SCHOTVM, in iure feudali SEGERVM, in iure publico vniuersali HEBENSTREITVM secutus sum doctores. ZOLLERVS formam iudiciariam exposuit. BAVERO quoque, qui propositis e iure quaestionibus auditores tentauit, nec minus WOLLIO, qui non interrogando tantum, sed etiam disse-

rendi

*rendo super thesibus e iure depromtis mihi profuit, haud pauca me de-
bere grato animo profiteor.*

*Insigniter de me, meisque studiis promeritos Viros doctissimos
laudarem equidem, nisi scirem malle eos mereri laudes, quam audire.
Igitur perennem iis memoriam humanitatis atque beneuolentiae, qua
me omni tempore prosecuti sunt, ultro et lubens spondeo.*

Hicce ergo studiis innutritus et a magistris bene instru-
ctus collegium nostrum adiit atque vt ad Examen, quod
Nobilium Maius appellatur, admitteretur petiit, dieque et ho-
ra ei indicta, is ex iure canonico, ciuili, Germanico priuato et
publico non solum, sed etiam ex Processus Ordinatione ipsi
propositas difficiliore quæstiones prompta elocutione et si-
ne vlla hæsitacione ita enodauit, vt doctrinam et littera-
rum notitiam, quam in conuersationibus et vita nunquam
iactare sed modestius abscondere solet, amplissimam osten-
deret, eoque spem, quam de eo conceperamus, satis lae-
tam etiam superaret. Sic muneribus ambiendis, quibus or-
nari possit, *PRAE CAETERIS* dignus iudicatus, quo qui-
dem elogio melius et ornatus non habemus; nam si
haberemus, hoc quoque reportasset. Esse autem haec
omnia ita vt posuimus gesta, hoc programma valuis tem-
plorum et auditorii affigendum bona fide et absque simula-
tione cauet, et Globigium nostrum non, quia Praesidis
filius; non assentatorio more, quem Leyser, ipse assentator
ma-


maximus, iureconsultis obiicit; non, quia nobilis hic noster candidatus (quid enim ad eruditionem nobilitas?) sed quia vere doctus, honestus, et iuuenili gravitate conspicuus est, ex merito commendat, excellentissimoque patri, ipsi summo viro, talem filium publice gratulatur.

P. P. Dominica Iubilare MDCCLXXIX.



11 7 Nov 1989

Cons. et resp. 361



Small, rectangular, light green paper label affixed to the upper right corner of the book cover.